

D  
008

(Alte Ms. 393.)

Sammlung von 57 Schriften theol.,  
philos. u. juriist. Inhalts.

von Meier, J. Th.

P.VII. 89.



DISPV TATIONVM METAPHYSICARVM  
V N D E C I M A 56  
DE  
**N E C E S S A R I O**  
ET CONTIN.  
GENTE,  
*Q V A M*

P R A E S I D E  
**IOHANNE HOMBORGIO**  
LOGICÆ PROFESSORE  
ORDINARIO,

*IN ACADEMIA JULIA*


Die Junii.

*Publico examini subiicit*  
**Z A C H A R I A S P E T R I**  
Brunsvicensis.



**H E L M A E S T A D I ,**  
**T y p i s H E N N I N G I M U L L E R I**

**A N N O C I C I D C L I I I .**



IN GRATIAM  
*Amplissimorum Consultissimorum ac Prudentissimorum Virorum*


**DN. TOBIÆ OLFE N  
ANDREÆ PAUL  
IOHANNIS CAMMANNI I.V.D.  
TILEMANNI à DAM**

Inclytæ Reip. Brunsvicensis Consulum Spe-  
Etatissimorum Mecœnatum & Evergetarum  
suorum ætatem observandorum yū-  
ματικα hoc Metaphysicum in Fa-  
mæ templo collocandum

*Exhibit*

ZACHARIAS PETRI.





## THE S I S . I.

**D**octrinam caussarum postquam exposuimus, pergitus ad Necessarium & Contingens; utrumque vero consideratur vel in ordine ad modum caussandi, vel in ordine ad modum essendi.

II. Caussae enim si ita caussant, ut non possint non caussare, necessariò caussant; & effectus, qui ita ab ijs producitur, necessarius est, sive necessariò producitur: sin autem ita caussant, ut possint non caussare, contingenter caussant; & effectus, qui ita ab ijs producitur, contingens est, sive contingenter producitur.

III. Ens autem si ita existit, ut non possit non existere; necessariò existit, & est ens necessarium: sin autem ita existit, ut possit non existere; contingenter existit, & est ens contingens.

IV. Nos de Necessario & Contingente non priori sed posteriori modo acturi, contemplabimur utrumque tamquam affectionem entis disjunctam: explicabimus enim quomodo entia se habeant ratione necessitatis & contingentiae, hoc est, an sint in rerum natura necessariò vel contingenter. Ex quibus liquet, nos heic in Metaphysicis non de Necessario & Contingente complexo, sed incomplexo agere.

V. Verum ut certo ordine progrediamur, totam hanc diatriben sequentibus capitibus includemus. Primo explicabimus varias utriusque vocis acceptiones. Se-

A 2

cundò

cundò inquiremus, an detur in rebus ipsis Necessarium & Contingens. Tertiò agemus paucis de utriusque naturâ & definitione. Quarto de divisionis adæquatione. Quinto denique de varijs Necessarij & Contingentis divisibibus.

VI. Voci Necessarij acceptiones recenset Aristoteles quatuor v Metaph. cap. v. Primò, Necessarium id dicitur, sine quo, ut concaussâ (ως συναπτίς) fieri non potest, ut vivatur; quo pacto necessaria est animali respiratio, & alimenum, cum sine his esse non possit. Hic est primus necessarij modus, sine quo, ut concaussâ, aliquid vivere, aut omnino esse nequit. Nam etsi hoc loco tolius vitæ mentio fit; inferius tamen, ubi hic modus ad quartum reducitur, ipsum quoque esse commemoratur: nam inquit loco cit: ἔτας γὰρ μὴ οὐδέχεται ἐν ταῖς μηδὲ τὸ αἰγαῖον, ἐν ταῖς δὲ τὸ ζῆν οὐδὲ τὸ εἴρην αὔει τινῶν, ταῦτα ἀναγνῶν, οὐδὲ ί αἰτία ἀνάγνωστις ἐστὶν αὐτην. Cum enim hūc bonum, illuc vita atque esse sine quibusdam non contingunt: tum hac necessaria sunt, & canssa hac necessitas quadam.

VII. Secundò ea dicuntur necessaria, sine quibus fieri nequit, ut bonum aut sit, aut fiat; vel malum aliquod amoveatur, aut non adsit. Hoc modo necessarium sit alicui medicatam potionem bibere, ne ægrotet; & in Aeginam navigare, ne pecunias amittat. Hoc secundo modo ea necessaria dicuntur, sine quibus fieri nequit, ut bonum aut sit, aut fiat; vel aliquod malum tollatur, vel amoveatur. Hoc necessitatis modo studium pietatis, sive observatio mandatorum Dei cuivis mortaliū, etiam fidi & renato, & in statu gratiæ viaque salutis constituto, necessaria est; ut in illo statu gratiæ usque ad finem vitæ suæ perleveret, & salute tandem consummatâ fruatur.

IX. Tertiò necessarium vocatur id, quod violen-

th



rum est & vis ipsa: hoc verò est, quod preter propensionem elec-  
tionemq; impedit ac prohibet. Quod enim violentum est, ne-  
cessarium dicitur, quo sit, ut molestum sit: quemadmodum & E-  
venus ait: Quod enim est necesse, id cuiq; molestum accidit. Et  
vis necessitas quedam est; quemadmodum Sophocles ait: At  
hæc cogit vis me invitum facere. Videlurq; necessitas quid-  
dam esse, quod persuasiōni nihil cedat: & rectè quidem; Volun-  
tatis enim rationisq; motui adversatur. Hoc necessarium est  
violentum, nec dissuasiōni cedit. Nam quæ non possu-  
mus non perpeti, frustra dissuaseris. Huic rectè intelli-  
gendo facem alludent ea, quæ habentur in Ethic. cap.v:  
*Ad ea agenda*, ait Philosophus, quæ nec in nostra potestate  
funt, nec nostra sponte funt, nemo prorsus quemquam hortatur,  
quippe cum vanum sit, persuasum esse cuipiam non calere, aut  
non dolere, aut non esurire, aut quidvis aliud tale, cum nihilomi-  
nis hæc ipsa paxiatur.

IX. Quartò, quod aliter se habere non potest, necessa-  
riò ita se habere dicimus: atque ex hoc necessario cetera quoq;  
omnia modo aliquo necessaria dicuntur; sive sit σωτήρ, sive  
aliud quid, sine quo bonum obtineri vel haberri, aut ma-  
lum tolli seu evitari non potest: quia ea omnia aliquo  
modo necessaria dixeris, eo quòd aliquem necessitatis  
gradum participant.

X. Nemo sanè aliàs dixerit simpliciter & absolute  
necessarium esse, ut animal cibum, ægrotus pharmacum  
sumat, aut lapis sursum proiectatur; cùm ne illud qui-  
dem sit simpliciter & absolute necessarium, ut ipsæ hæ res  
actu sint. Quare Aristoteles non sine caussâ tres prio-  
res necessitatis modos, qui sunt necessarij secundum quid,  
ad quartum, utpote necessarium simpliciter ita dictum,  
retulit: quemadmodum candidum secundum quid ad  
candidum simpliciter referri solet.

A 3

XI. Con-



XI. Contingens juxta Aristotelem i Prior. anal.  
cap. iii multifariam dicitur. *Contingere enim i dicimus, & quod est necessarium; & quod non est necessarium; & quod est pos-*  
*sibile:* sed harum significationum nulla heic locum habet.  
ii. Contingens idem est ac fortuitum: sic contingit fos-  
forem vineæ thesaurum effodere. Sed nec hæc signifi-  
catio huc quadrat. iii. Contingens sumitur pro muta-  
bili, quod aliter se habere potest; ut necessarium pro im-  
mutabili, quod aliter se habere non potest; ita acci-  
pitur i Prior. anal: cap. xiii, uti etiam vi Ethic. cap. iv;  
atque hoc modo Contingens nunc nostræ consideratio-  
nis est.

XII. Hæc ut aliquanto pluribus diducamus, expli-  
cabimus quatuor isthæc: *Non potest non-esse; Potest non-*  
*esse; Potest esse, Non potest esse.* Priora ut & posteriora duo  
sibi invicem opponuntur contradictoriè; quia inter ea  
nullum prorsus potest dari medium: Hæc autem duo;  
*Non potest non-esse, & Non potest esse,* opponuntur ut termi-  
ni contrarij; qui quidem ambo eidem rei falsò tribui pos-  
sunt, sed numquam verè: inter eos tamquam medij in-  
terponuntur hi duo, *Potest non-esse, & Potest esse*, ut termi-  
ni subcontrarij; qui inter se verè non pugnant, sed eo-  
rum alteruter alterutri superiorum contradictoriè oppo-  
nitur.

XIII. Porrò τὸ *Non potest non-esse* subalternari vi-  
detur τὸ *potest esse*. Nam quod non potest non-esse, id  
certè præsupponit, & quasi includit, quod possibile sit esse;  
aut certè ejus contradictionum, scilicet quod non possi-  
ble sit esse, hoc est, quod impossibile sit esse: unde con-  
sequitur, ut quod necesse est esse, impossibile sit esse; quod  
est absurdum: videatur Aristot. *εἰρηνείας* cap. xv. Quod  
igitur

igitur non potest non-esse, Necessarium est. Quod non potest esse, impossibile est: nihil autem simpliciter tale est, nisi quod contradictionem involvit. Quod potest non-esse, contingens dicitur. Quod potest esse, possibile.

XIV. Ex his etiam manifestum fit, quomodo differant Necessarium & Contingens. Non enim formaliter & per se potentiam, sed modum essendi significant, nempe an res sit talis, ita ut possit se aliter habere, an secus; & præscindunt ex naturâ suâ ab actu existendi, quem nec ponunt, nec tollunt. Ita necesse est hominem esse animal rationale; sive actu sit, sive non sit: nihil enim aliud primò & per se significatur, quam modus essendi; exempli gratiâ, homo necessariò est animal rationale; Petrus currit ita, ut possit non currere h. e. currit contingenter, quando cunq; tandem cursum suum sit producturus. Hæc itaque est ratio Necessarij & Contingentis communiter & abstractè sumtorum, ut præscindunt ab actu exercito, & nullam differentiam temporis connotant.

XV. Notabis quoque Necessarium & Contingens accipi vel in Concreto, vel in abstracto. In concreto summum significat tum ipsum subjectum, quod est, tum modum, quo est. In abstracto verò tantum & præcisè dicit modum essendi; & propriè dicitur Necessitas & Contingentia.

XVI. Verum enim verò quum Ens sit vel necessarium vel Contingens, non immeritò nunc queritur, an detur tale ens, quod summè & simpliciter necessarium sit, sive quod prorsus sit in se & suâ essentiâ, nullâ intercedente dependentiâ, necessarium & immutabile. Sed responsio in promptu est, si quis modò secum expendat, Deum esse, communi consensione, quæ pro lege naturæ putanda est, gentium, hactenus fuisse confirmatum. Sanè qui

qui de divinitatis existentiâ dubitat, haud sanè intelligo (unter verbis Ciceronis ii de naturâ Deorum) cur non idem sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim (ut idem paullo antè dixerat) tam apertum tamq; perspicuum, cùm calum sibi speximus, cælestiag; contemplati sumus, quām esse aliquod numerus præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?

XVII. Sed Deum esse unicâ ratione demonstrare nunc erimus contenti. Supponimus verò primò dari ens factum, atq; hoc, quod factum est, ab alio esse factum, & ita deinceps; donec tandem necessariò deveniatur ad aliquod, quod quidem existat, & non sit factum, sed increatum. Nam hoc consectorium inde necessariò infertur; nisi temerè contendere velis, omnia ire vel in infinitum, vel in circulum; quum tamen illud absurdum sit, hoc inceptum.

XIX. Deinde nec statim ex eo, quod est ens increatum, firmiter colliges : ergo illud ens increatum esse Deum; quia objectabis, dari quidem ens increatum sed non tantum unicum, verùm plura. Si autem uno plura sint entia increata, nullum eorum erit Deus, quia à nullo cætera omnia dependebunt; quum unum increatorum ab altero in suo esse non dependeat. Quin dices, fieri posse, ut ne omnia creata ab uno increato dependeant, sed eorum quædam ab hoc, quædam ab illo; quum tamen à Deo omnia dependere debeant.

XIX. Hisce rectè ut occurras demonstrando illud ens, quod est increatum, esse Deum; præsupponas oporet, quidnam nomine Dei communiter denotetur. Significat hoc nomen Dei (verba sunt Suaresij Disp. Metaph. xxix, sect. II, n. v.) quoddam ens nobilissimum, quod & reliqua omnia superat, & ab eo tamquam à primo authore reliqua omnia pendent, quod proinde ut supremum numen colendum est ac venerandum

randum: hic enim est vulgaris & quasi primus conceptus, quem omnes de Deo formamus, auditio nomine Dei. Et ideo ad demonstrandum Deum esse, non satis est ostendere dari in rerum naturâ ens quoddam necessarium & à se, nisi etiam probetur illud esse unicum & tale, ut sit fons totius esse, à quo pendent, & illud recipiunt omnia, quæ ipsum esse quoquo modo participant.

XX. Ex quibus liquet, ut firmiter demonstrare esse Deum, priùs omnino demonstrandum esse, ens increatum esse unicum, & quidem tale, à quo cætera omnia esse suum habeant, & dependeant: nos ita argumentamur: *Quodcumq[ue] ens est ita unum, ut ab eo omnia entia dependeant, id est Deus.* Atqui ens increatum ita est unum, ut ab eo omnia entia dependeant. E. ens increatum est Deus.

XXI. Demonstratio nostra tribus constat, subiecto, affectione & caussâ, sive ratione à priori. Subjectum est ens increatum. Esse Deum habet se ad modum affectionis demonstrandæ: Esse ita unum, ut ab eo omnia entia alia dependeant, est tamquam ratio à priori, per quam demonstratur, ens increatum esse Deum.

XXII. Major desumpta est ex vulgari & quasi primo conceptu, quem voce Dei auditâ, omnes sibi formant. In minori duo probanda continentur: I. Ens increatum esse unum. II. Ab eo omnia alia entia dependere.

XXIII. Priùs ita demonstramus: *Quicquid essentialiter est singulare, id est numero unum.* Sed ens increatum essentialiter est singulare. E. ens increatum est numero unum. Major evidens est ex naturâ & quidditate singularis, cui repugnat multiplicari in suis inferioribus, hoc est, comprehendere sub se plura talia, quale est ipsum, quum hoc solius sit universalis. Si enim homo ex intrinsecâ suâ naturâ & essentiâ esset singularis, sive essentialiter esset singularis;

laris; non esset multiplicabilis per plura individua, quæ talia sunt, qualis ipse est.

XXIV. Minor probatur : *Quicquid essentialiter existit, id essentialiter est singulare.* Sed ens increatum essentialiter existit. Ergo ens increatum essentialiter est singularē. Major hujus prosyllogismi probatur; quia existentia non est nisi entis singularis. Minor ejusdem prosyllogismi ita ostenditur : Ens increatum aut essentialiter existit, aut non essentialiter existit. Si prius habemus, quod intendimus : si posterius ; tum ens increatum ita existeret, ut existentia non esset de ejus essentiā, & posset aliquando non existerere, adeoque necessariō præsupponeretur aliud aliquod prius, per quod existeret ; atque ita non esset ens increatum sive non factum, sed creatum seu factum. At ens increatum seu non factum esse ens creatum seu factum, omnino adūratō est.

XXV. Posterius, quod in minori primi syllogismi probandum est, nimirum ab uno hoc ente increato omnia alia entia dependere, probatu facile est : nam si unum tantūm est ens increatum, omnia alia sunt creata. Ergo omnia alia dependent ab illo uno increato.

XXVI. Evicto hoc, quod detur ens summè necessarium, dari quoque ens contingens evincendum restat. Verūm quod rectissime dixit Aristoteles i Top. cap. ix: *Non oportet omne problema aut omnem thesin in questionem reducere, sed eam de qua dubitare quispiam possit, egens rationis, non pœna, aut sensus; nam qui ambigunt, utrum oporteat Deos colere, & parentes diligere, necne; pœna: qui vero dubitant, utrum nix sit alba, necne; sensu indigent :* Id etiam valet de hoc problemate, an detur rerum contingentia; proinde Scotus i Sent. dist. xxxix lepidè deridet sententiam corum, qui negant rerum contingentiam, inquiens, *tormentis*

mentis eos subiectiendos, donec fateantur, non esse necessarium  
ut torqueantur, sed posse se etiam non torqueri.

XXVII. Verum enim vero quum semper adversus  
externum sermonem obijcere liceat, etsi adversus inter-  
num non semper; ut docet Philosophus i Poster. anal.  
cap. 11 x: hinc fit, ut saepe homines negent, seu quod  
ignorent, quid dicant; seu quod more seculi, quo nunc  
vivitur, praet petulantia manifestissima quæque labefacta-  
re seu evertare conentur; quæ si recte considerent, men-  
te & animo inficiari prorsus nequeant. Id quoque heic  
usu venit: nam primò quis adeò omnium rerum est  
imperitus, ut nesciat, aliqua fieri casu vel fortunâ; e. g. ut  
si tripes rectus caderet, ita ut aliquis posset ibi sedere; hoc  
utiq; casu factum esse, ait Aristoteles; quia non idcirco ce-  
cidit, ut quis ibi sederet, sed id contigit ex accidente? Vi-  
deatur Aristot. ii Phys. cap. v & vi.

XXIX. Deinde idem ut magis diluceat, hac ratio-  
ne firmamus: Quæ sententia omnem omnino libertatem in a-  
gendo è medio tollit, ea est absurdâ. Atqui sententia, quæ negat  
dari contingentiam in rerum naturâ est talis. Ergo ea est ab-  
surda. Major confirmatur; si omnibus omnino rebus de-  
neganda est contingentia seu libertas in agendo, etiam  
Deo, angelis & hominibus sua in agendo libertas nega-  
bitur, vel eripitur; id quod absurdum est. De homine  
eam absurdè negari, inde liquidò constat; quia humana  
actiones sive sint rectæ rationi & legibus convenientes,  
sive disconvenientes; nec amplius vel bona vel mala mo-  
raliter sunt; nec vel laudem, vel vituperium merentur;  
nec præmio vel poenâ dignæ verè & meritò censeri pos-  
sunt. Quæ omnia perquam absurdâ esse, & ad impie-  
tatem & quævis scelera ac vitia bipotentem aperire por-  
tam vel ille videt, qui pedem paullum extra inscitiae lu-

tum ponere cœpit. Minor ita probatur; quia si quæ facta sunt, non sunt ex facientis arbitrio, ita ut positis omnibus prærequisitis ad agendum, potuerint fieri & non fieri, sed ex se necessaria sunt; ergo nec pro arbitrio facientis possunt esse & non esse; ac sic in ijs nulla libertas, nulla contingentia est.

XXIX. Denique accedit, quod præter summum illud ens simpliciter & absolutè ac independenter necessarium, cætera omnia alia suum esse habeant, ita ut illud potuerint non habere & consequenter non esse; atque ideo aliquam contingentiam obtineant nunc magis, nunc minus. Sic substantiarum finitarum præstantissimæ perfectissimæque potuerunt ante sui productionem non produci, & non esse; sicuti revera quoque antequam producerentur, non fuerunt: aut postquam de nihilo productæ, eodem reddituræ, nisi à Deo opt. max. conserventur.

XXX. Malè quidam argumentati sunt ab ipsâ contingentia abstractè & in universali acceptâ ad res contingentes sive contingentiam rerum particularium. Nam esse contingentiam fortè sit necessarium, propter varios entis gradus: sed hanc vel illam rem contingentem ita fieri, necessarium non est; quia est oppositum in apposito: ecquis enim dixerit necessarium esse Socratem scribere, aut venenum bibere?

XXXI. Validius illis pugnasse videntur, qui propter Dei præscientiam, quam uti nihil latere potest, ita ei quoque nihil esse dubium, contingentiam tollere ad laborarunt, argumentati hoc modo: Præscientia Dei non est infallibilis; ergo objecta ejus non possunt aliter evenire. Quod autem non potest aliter evenire, id necessarium est, adeoque consequenter, quæ nobis dicuntur contingentia.

tingentia, sunt necessaria: e. g. Deus ab æterno præscivit Iudam fuisse proditum Christum; ergo necessariò proditurus Christum. Nam si necessarium est antecedens, utiq; necessarium est consequens, & cum necessitate non potest simul consistere contingentia vel libertas. Idem hoc confirmatur vulgari hac Dialecticorum regulâ. *Cujuscumq; conditionalis vera antecedens necessarium est, ejus consequens quoque necessarium est.*

**XX XII.** Verùm respondeo necessitatem esse duplēm: una oritur ex intimâ connexione terminorum; auti necesse est Deum à nemine dependere: aut saltem ex caussâ necessariò operante & ad unum determinatâ, quâ ratione hoc vel illo die lunam deficere necesse est: altera provenit ex ipsâ positione effectûs, etiamsi sit liber, & à caussâ liberâ profiscatur. Hoc pacto necessarium est Petrum scribere, posito quòd scribat; aut scripsisse, posito quòd scripserit; aut scripturum esse, posito quòd scripturus sit; quamvis in Petri potestate sit scribere & non scribere. Vnde ista necessitas non tollit contingentiam, sed potius præsupponit. Hæc distinctio fundamentum habet in Aristotele lib. de Interpretat: cap. x, quando inquit: *Quoniam quicquid est esse ex necessitate quando est, non idem valet quod simpliciter esse ex necessitate.*

**XXXIII.** Etsi igitur Deus necessariò ab æterno præscivit, Iudam liberè proditum Christum: non tamen hæc necessitas vel ex intimâ connexione terminorum oritur, quia præscientia Dei non habet necessariam connexionem cum proditione Iudæ; vel ex aliquâ caussâ necessariò operante & præcedente proditionem, sed ex ipsâ positione proditionis. Posito enim quòd Iudas liberè fuisse Christum proditurus, necesse est, proditum fuisse, & Deum, qui omnia novit, hoc non ignorare: nihilomi-

nus quod fuerit proditurus, hoc non provenit ex aliquâ causâ antecedente, quæ ipsi necessitatem prodendi imposuerit. Quocirca non sunt ideo necessariò, quæ liberè homo agit; et si Deus illa necessariò prævidit: quia prævidendo liberam voluntatem hominis, præscivit ea sponte esse facturam. Sicut & nos cum liberè aliquid facimus, id necessariò mente intelligentiâq; cognoscimus: et si necessariò non facimus.

XXXIV. Ad regulam Dialecticorum respondeo, eam habere locum, quando antecedens est necessarium ex intrinsecâ terminorum connexione; aut ratione causæ necessariò operantis, non quando solum est necessarium ex accidente, sive ex ipsâ positione effectûs, quæ necessitas neutquam excludit libertatem aut contingentiam: id quod ex Durando in i Sentent. dist. xxxix, quæst. iii liquet, quando ita scribit: *Omnis conditionalis cuius antecedens est necessarium, & consequentia necessaria; & ipsum est necessarium.* Concipi igitur hoc modo potest regula: *Cuiuscumq; conditionalis necessariæ antecedens est necessarium, ejus consequens etiam est necessarium.*

XXXV. Adhæc datam responsonem nonnullorum Patrum testimonijs confirmare liceret, si hoc argumentum uberiùs & subtilius persequi animus esset; sed hoc unum heic annotare sufficit; Quidam ex ijs affirmant, præscientiam Dei, quâ futura præcognoscit, esse posteriorem rebus futuris & non priorem. Nec enim ideo aliquid futurum est, quia à Deo futurum præscitur; sed ideo aliquid à Deo futurum præscitur, quia futurum est. Sed videatur Vasquez in Thom. p. i, tom. i, disp. LXIX, cap. vi; Suarez. varia opuscula Theolog. lib. i de scientiâ futurorum contingent. cap. ix, num. xvi; Becan. p. i Theol. Schol. cap. xii.

XXXVI.

**XXXVI.** De quidditate Necessarij & Contingentis  
per definitionem utriusque nobis constat. Est enim Ne-  
cessarium, quod non potest aliter se habere i Post. cap. xxvii,  
& v Metaph. cap. v; sive quod habet essentiam immutabilem.  
Contingens est, quod potest aliter se habere i Prior. cap. XII,  
& vi Eth. cap. iv; sive quod habet essentiam mutabilem. Vbi  
de mutabilitate intrinsecâ loquimur. Nam et si mutabili-  
tas extrinseca ad ens simpliciter necessarium constituen-  
dum non sufficit; tamē illa cum hoc consistere potest, nec  
ei quicquam repugnat; exemplo nobis sit Deus opt. max.  
qui est ens summè necessarium, nec tamen operationes  
vel actiones ejus quoad extra necessariæ sunt, sed contin-  
gentes seu liberæ. Ut igitur essentia Dei necessaria  
est, operatio autem vel actio externa contingens seu libe-  
ra: ita etiam illa est immutabilis, hac existente mutabili.

**XXXVII.** Præterea uti colligere non licet, quod  
necessariò est, & non potest non-esse, necessariò agere,  
& non posse non-agere: ita pariter colligi nequit, quòd  
contingenter est, & potest non-esse, contingenter agere  
& posse non-agere. Nam non posse non-esse, summæ  
perfectionis est; proinde quòd magis unumquodque ne-  
cessariò est, eò perfectius esse habet; & quòd perfectius ha-  
bet esse, eò perfectiorem habet potentiam agendi: hæc  
enim illud supponit & arguit. At non item perfectio-  
nis semper est, non posse non-agere: nam qui necessariò  
agit, tantùm potest agere; sed qui liberè agit, potest &  
agere & non-agere: jam plus potest, qui potest & agere &  
non-agere, quam qui tantùm potest agere. Vtrumque  
verò posse agere & non-agere in potestate liberè agentis  
positum est, idcirco rò posse non-agere, positivè heic  
accipi debet, non negativè; hoc enim imperfectionis  
foret.

**XXXIX.**

XXXIX. Dividitur porrò ens in necessarium & contingens, atque hanc divisionem enti adæquatam esse, inde liquet; quia nullum datur ens, quod non sit necessarium vel contingens; & rursus nullum datur necessarium vel contingens, quod non sit ens. Prius hac ratione munitur; quia necessarium & contingens sibi opponuntur contradictoriè, & ideo inter ea, ut talia medium dari nequit: ergò alterutrum eorum semper affirmabitur de ente; Necessarium enim est, quod aliter se habere non potest; seu quod non habet essentiam mutabilem: Contingens, quod aliter se habere potest; seu quod habet essentiam mutabilem. Iam quorum rationes formales sunt contradictoriæ, ea quoque sibi invicem per contradictoria opponi necesse est. Posterius hoc modo probatur; quia tam necessarium quam contingens, ut cætera transcendentia, includunt entitatem. Quod autem entitatem includit, non potest esse non-ens, sed ens esse necesse est. Adde, quod omne id, quod non repugnat existere, sit ens. At Necessarium & Contingens ut heic accipiuntur, non repugnant existere. Ergo Necessarium & Contingens, ut heic accipiuntur, sunt entia.

XXXIX. At inquires, Necessarium & Contingens non immediatè sibi invicem opponi, sed interutrumque dari aliquod medium, videlicet liberum. Verùm antequam respondemus, supponimus, contingens dupliciter accipi; Primo quod neque est necessarium neque impossibile; quo sensu Aristot. i Prior. cap. xi i accipit, & dicitur, quod cum non sit necessarium, si ponatur esse, non sequitur impossibile; & est illud, quod si est, potest non esse; & si non est, potest esse. Secundo, quod dependet à causâ incertâ & indeterminatâ, & ideo si quid hujusmodi contingat, dicitur fortuitò & casu fieri; ut multis explicat Aristot.

Aristot. II Phys. cap. iv & v. Iam his suppositis, respondeo  
liberum sub Contingente, priori modo sumto, compre-  
hendi; idque sic ostendio; quia liberum illud dicitur,  
quod tam hoc, quam opposito modo se habere potest; ut  
quod ego jam scribo, hoc liberum mihi est; poteram enim  
non scribere. Quare quicquid non magis hoc, quam op-  
posito modo se habere potest, id est Contingens, aut sub  
Contingente comprehenditur. Nam si uno tantum mo-  
do se habere posset, esset necessarium. Sed liberum non  
magis hoc, quam opposito modo se habere potest. Ergo  
est contingens, aut sub contingente comprehenditur.

XL. Ultimo denique loco paucis considerabimus  
præcipuas & maximè utiles Necessarij & Necessitatis di-  
stinctiones. Nam multis modis fit, ut aliquid sit necessari-  
um, & aliter se habere non possit; utpote vel ob simplicem  
immutabilitatem; vel ob terminorum connexionem; vel  
ob aliquam caussam, ex qua effectus suo modo necessariò  
sequitur; vel ob aliquam suppositionem. Hinc varij ne-  
cessitatis gradus & distinctiones originem trahunt; ut jam  
patebit.

XLI. *Necessarium* primò est *Complexum vel Incomple-  
xum*. *Necessarium complexum* est propositio, quæ dicitur  
necessaria, quia ita vera est, ut falsa esse non possit; & hoc  
fit duobus modis, *vel materialiter, vel formaliter*. *Materia-  
liter*, quando prædicatum per copulam necessariò jungi-  
tur subiecto; *ut albedo est color; homo est animal*: hæc enim  
prædicata cum suis subiectis adeò necessariò cohærent, ut  
per Dei infinitam potentiam non possit fieri, ut albedo sit,  
quæ non sit color; aut homo, qui non sit animal. *Forma-  
liter*, quando prædicatum subiecto jungitur, apposito mo-  
do Necessarij vel necesse; *ut Necesse est hominem esse animal;*  
*necesse est Deum esse justum*. *Necessarium incomplexum* est nu-  
dus

C



dus terminus, aut res aliqua simplex, quæ aliter se habere non potest; uti Deus est necessarium incomplexum; ita enim se habet, ut aliter se habere non possit; atque hoc necessarium dicitur *in essendo*.

**XLII.** Secundò *Necessarium incomplexum vel est simpliciter tale, vel secundum quid.* Illud est simpliciter immutabile, quia nullo modo & nullius intuitu non esse aut aliter se habere potest, quale ens est solus Deus. Hoc est, quod intuitu caussarum naturalium vel secundarum aliter se habere nequit; quia tamen à Deo, utpote ente primo & summo dependet, non esse vel mutari ab eo potest; ut angeli, anima rationalis & corpora cœlestia sunt hoc modo entia necessaria, quæ antequam crearentur, non fuerunt, & postquam ex nihilo jam facta sunt, eodem reditura, nisi Deus ea sustentaret; atque ita absolutè sunt res contingentes, quia respectu causæ primæ aliter se habere possunt; secundum quid tamen necessariæ, quia respectu secundarum non possunt se aliter habere.

**XLIII.** Tertiò, *Necessarium est, quod suæ necessitatis nullam habet causam;* ut Deus: *vel habet aliquam suæ necessitatis causam sive internam, sive externam;* ut homo est rationalis, Spiritus est immortalis. Cùm autem causa sit quadruplices, *Necessarium etiam quod inde arcessitur, totuplex esse oportet;* ut *Necessarium ex parte materiae;* *Necessarium ex parte formæ;* *Necessarium ex parte efficientis;* & *deniq; necessarium ex parte finis.*

**XLIV.** *Necessarium ex parte materiae est;* ut ferræ necessariò est dura, quia ex ferro constat; & homo est necessariò mortalís, quia ex elementis constat.

**XLV.** *Necessarium ex parte formæ est;* ut homo necessariò est rationalis; corpus necessariò est quantum. Neces-  
sitas autem ex parte formæ vel est ratione constitutionis; vel  
*(con)*

*consecutionis.* Ratione *constitutionis* est, quæ est à formâ, ut po-  
te necessariò constitutive essentiam formati, sive forma  
sit physica, sive Metaphysica, quæ est differentia. Appel-  
latur hæc necessitas *definitionis*, quæ tanta est, ut si ejus op-  
positum mente concipias, statim contradic̄tio involvatur:  
ordo enim definitionis ad definitum est ordo essentiæ ad  
ens, idcircò sublatâ essentiâ, impossibile est non destrui  
ens: ita sublatâ definitione, impossibile est non destrui de-  
finitum: idque non tantùm verum est de integrâ defini-  
tione, sed etiam de qualibet ejus parte. Ita homo esse  
non potest, quod animal non est, & quod rationale non  
est. Ratione *consecutionis* est, quæ est à formâ, ut consequens  
immutabile; vel quâ affectio aut passio propria necessariò  
dependet ab essentiâ, ut quantitas à materiâ; atque hæc  
necessitas *demonstrationis* appellatur: quæ tamen per Dei  
potentiam infinitam tolli aut impediri potest.

XLVI. Vbi notabis, cum dicitur aliquid necessari-  
um esse in ordine ad caussas internas, vocem caussæ non  
ita strictè sumendam, sed extētendam esse ad quamvis ra-  
tionem intrinsecam, et si revera caussa non sit; quomodo  
prædicata substantiarum spiritualium, ut quod angelus  
sit intelligens, agens liberum, necessariò ipsis conveni-  
unt ex internâ suâ naturâ; licet propriè ex materiâ &  
formâ non constent. Atque hæc sufficient de Necessa-  
rio dupli in ordine ad caussam internam duplicem.

XLVII. Necessarium in ordine ad caussam exter-  
nam duplicem, itidem est duplex, & distinguitur in  
*Necessarum in ordinè ad caussam efficientem*, & in ordinè ad fi-  
nem. Illud est, quod agit vel ex necessitate naturæ, vel violen-  
tiæ, vel coactionis. *Necessitas naturæ seu naturalis est*, cùm a-  
gens positis omnibus requisitis ad agendum, naturaliter  
non potest non producere talem effectum; sicut ignis na-

turaliter non potest non urere, videlicet si natus sit sub-  
jectum ad tales actionem habile, & non aliquid obstat:  
sed per Dei potentiam fieri potest, ut non urat etiam  
materiam aptam. Vbi notetur, quod dixi *naturaliter*,  
quia illa necessitas, à Dei potentia utpote superiori sisti  
potest, salvâ manente rei essentiâ. Sic ignis esse non de-  
sirat, licet per Dei potentiam non combusserit etiam ma-  
teriam aptam, utpote tres sanctos viros in fornace arden-  
te Babylonica. Atque hæc necessitas vocatur *in operando*,  
& dicitur Philippo *Physica*, quia quæ hoc modo nece-  
ssaria sunt, tantum respectu caussarum secundarum na-  
turalium necessaria sunt: natura enim illorum sic ordina-  
ta est, ut à Deo mutari possint; & si divinâ potestate mu-  
tentur, aut mutari posse dicantur, nihil contradictionis  
implicit.

XLIX. *Necessitas violentiae & coactionis* quæ sit, faci-  
lè patet. Quæ tamen duo ita inter se differre volunt  
nonnulli; ut in ijs, quæ agentia libera sunt, talis violen-  
tia fiat cùm displicentiâ, quando contra voluntatem  
parere coguntur, atque tum propriè dicitur *Coactio*; ut  
cùm fur, latro, aut aliud facinerosus ad carcerem trahi-  
tur à lictore. At in cæteris agentibus non liberis pro-  
priè est *violentia*; ut quando lapis sursum projectus fer-  
tur. Sed hoc non adeò semper observatur: nam & agen-  
tia libera aut cognitione prædicta violentia in patiuntur;  
ut si quis homo, aut aliud animal catapultâ in aërem  
mittatur, aut manu tuâ arreptâ ego alium feriam, mera  
hæc est violentia, non autem coactio. Quin aliqui et-  
iam negant coactionem revera esse necessitatem, quum  
habeat principium internum; ut ex Ethicis patet: de quo  
tamen nunc non est disputandi commoditas.

XLIX.

**XLIX.** *Necessarium à causa finali est vel ad esse, vel ad  
bene esse.* Illud adeò necessarium est, ut sine eo res esse  
vel subsistere nequeat; ut omni animali sanguineo adeò  
respiratio necessaria est, ut eā sublatā, esse desinat, nec  
subsistere possit. Hoc verò, quando non requiritur ad  
finem simpliciter, sed quia is commodiùs hoc, quām alio  
pacto obtineri aut haberi potest; ut qui flumen transire  
velit, expeditiùs id & multò commodiùs nave aut ponte  
faciat, quām vado: atque ita navis aut pons illi necessa-  
rius est, sed hoc gradu necessitatis: quæ dicitur alias *Ne-  
cessitas expedientia.*

**L.** Quartò *Necessitas alia est consequentiae, alia Conse-  
quentis.* Illa, quando necesse aliquid est esse vel non esse,  
ex eo quod possum est, aliquid esse vel non esse; et si nec  
antecedens nec consequens fortassis in se necessaria sint,  
sed contingentia. Sic necesse est, ut si homo currit, mo-  
veatur; quamquam utrumquac sit in se contingens, scilicet  
quod homo currat, & quod moveatur; illo tamen in actu  
posito, hoc non potest non contingere, atque ita non po-  
test non fieri. Hæc est, quando tam antecedens,  
quām consequens in se sunt necessaria: ita necesse est, ut si  
homo est animal, sit etiam sentiens. Vnde hæc *necessitas*  
tantum habet locum in rebus per se necessarijs.

**L I..** Quintò; *Necessarium aliud est necessitate absolu-  
tā, aliud necessitate suppositionis, vel hypotheticā.* Illud est,  
cujus oppositum includit contradictionem; ut Deum esse  
justum, hominem esse animal. Hoc, quando aliquid in  
se est Contingens, id est, aliter se habere potest, posito  
tamen aliquo, non potest non esse, vel posito aliquo, non  
potest aliter se habere; atque hoc quidem necessarium  
est, sed ex hypothesi.

C 3

LII:Ex

LII. Ex ijs quæ de varijs Necessarij & Necesitatis gradibus disputavimus , haut difficulter quis coniiciat, quot modis dividatur seu distinguatur contingens & contingentia. Primò *Contingens dividitur in Complexum*, & *Incomplexum*. Illud est propositio contingens. Hoc est incomplexum, quod potest esse & non esse, sive est mutabile ad esse & non esse.

LIII. Secundò *Contingens est vel absolute tale, vel secundum quid*. Illud simpliciter est mutabile ; id est, ex se potest desinere, sicut ex se incipere, nullâ suppositâ actione Dei extraordinariâ; sic statim tempore prata virent; arbores frondescunt , & bruta sibi similiâ generant. Hoc est, quod etsi ratione dependentiæ à Deo, ut ens creatum, ab extrinseco mutari potest; tamen in se & ab intrinseco non desinit, nisi supponas actionem Dei extraordinariam, per quam destruatur.

LIV. Tertiò *Contingens est , aliud quod est quidem , non tamen necessariò*, i. e. potest non esse; ut si Socrates jam ambulat, contingens est eum ambulare : *aliud quod non est, potest tamen esse*; sicut contingens est sedentem stare.

LV. Quartò contingentium alia ad utramque contradictionis partem habent se aequaliter, επ' ιοης ; & dicuntur alias contingentia ad utrumlibet: hujusmodi sunt ea, quæ à libero nostro arbitrio pendent, seu ei subjacent; ut ambulare, scribere, stare; quia hi actus ex parte sui, vel etiam juxta habitudinem ad caussam suam proximam, non magis postulant esse, quàm non esse; atque hæc non cadunt sub demonstrationem.

LVI. Alia contingunt ut plurimum vel plerumque, ὡς επὶ τὸ πολὺ; ut contingit plerumque & ferè semper hominem

minem nasci quinque digitis in unâ manu; & viros plerumque barbam emittere, non tamen omnes; ut ait Aristot. **ii** Poster. text. LXVII; atque horum datur demonstratio. Aristoteles i Prior. hæc contingentia vocat *περιουσία*, quod in naturâ certam ac determinatam habeant causam, ut hoc potius, quam alio modo fiant, & ideo quodammodo necessaria dici possint, si non *ἀπλός* & absolu-  
tè, ut ea, quæ materiæ sunt expertia: tamen *ἐξ ἴνοθέσιως*  
cum conditione necessaria sunt, nisi aliquid impediverit,  
ut copia vel defectus materiæ, imbecillitas causæ moven-  
tis; sed videatur Aristot. **ii** Phys. cap. ult. LVII.

**LVII.** Alia raro fieri dicuntur, & quidē dupliciter, vel ratione temporis tantū, & non ratione causæ: quod autem raro fit ratione temporis, ratio in promptu est, quia ejus caussa raro in actu ponitur: ut aliquid raro quidē subjecto competit, sed posita tamen ejus caussâ in actu, semper & necessariò competit. Sic luna raro patitur deliquium: at quandounque inter ipsam & solem diametraliter opposita terra collocatur, semper & necessariò eclipsis fit: atque horum quæ sepe sunt, demonstrationes & scientiae dantur, ut luna defectionis &c. ut ait Aristot. i Poster. tex. LXV. *Vel ratione subjecti, vel temporis & causæ simul*; quod scilicet positâ quoque caussâ, raro accidit. Sic raro contingit, ut fodiens vineam, inveniat thesaurum; & hoc est, quod dicitur *raro contingens*: atque horum contingentium non est scientia per demonstrationem: fortuitum enim nec est necessarium, nec plerumque evenit, sed est id, quod præter hæc fit; demonstratio vero est horum alterius &c. ut docet Aristot. i Poster. cap. xxiv, & ii Poster. cap. XIII.

**LIX.** Quinto Contingens aliud est in effendo, aliud in operando; de utroque jam superius aliquid dictum fuit.

Allud



Mud est, cuius essentia est mutabilis. Hoc autem, quod potest operari & non operari. Et hoc modo contingentia convenit omni agenti libero. Libertas enim est species contingentiae, quatenus scilicet contingentia actionibus accommodatur. Atque sic Deus licet in essendo sit ens necessarium; tamen ejus operationes possunt esse & non esse, hoc est, sunt contingentes seu liberæ. Tantum de Necessario & Contingente.

---

## COROLLARIA.

### I.

Si quis confiteatur esse Deum, & neget praescium futurorum, apertissima insanía est; ut ait August. l. v de Civitate Dei cap. ix.

### II.

Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia. III.

Enunciationes singulares, quae de futuris contingentibus proferuntur, sunt definitæ veritatis.

### IV.

Aliquis effectus etiam esset liber, posito quod Deus agat ex necessitate naturæ.

### V.

Plus est futurum esse, quam posse esse.

### VI.


Dicere futurum, quod futurum est, verum dicere est; ut liquet ex cap. vii, lib. iv Metaph.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-566597-p0027-2

DFG



**Farbkarte #13**



DISPV TATIONVM METAPHYSICARVM  
V N D E C I M A  
DE  
**NECESSARIO**  
ET CONTIN.  
GENTE,  
*Q V A M*  
P R A E S I D E  
**IOHANNE HOMBORGIO**  
LOGICÆ PROFESSORE  
ORDINARIO,  
**IN ACADEMIA JULIA**  
Die Junii.  
Publico examini subiicit  
**Z A C H A R I A S P E T R I**  
Brunsvicensis.



**HELMESTADI,**  
Typis HENNINGI MULLERI

ANNO CICCI CLIII.

